

#### 4 STUDIUM JURIDICI

cationumque in Scholis Trivialibus, & Promotionum in Academiis mos. Et olim qui egregiè steterant, à cæterorum puerorum corona cum laude domum deducebantur, quod exemplo Cicero- nis constat.

§. 8. Tantum de Subjecto habitus. *Causa* vel modus acquirendi est vel supernaturalis *infusio*; vel naturalis *assuefactio*, quæ in sentientibus, quâ talia sunt, dicitur *Doctrina*.

§. 9. *Infusio* est vel Divina, vel Diabolica. *Divinæ* exempla habemus in dono linguarum Apostolico, et si quidam ultra illam Ecstasim durasse non putent, quo sensu non esset habitus, quia non permanens. In Historia Ecclesiastica simile habemus exemplum de *S. Ephraem Syro*, qui precibus *Basilii Magni* subitam linguæ Græcæ cognitionem obtinuit. Nostris temporibus infusionis *Diabolicæ* in mancipia sua, exempla non desunt. Nec hodie omnis infusio divina abesse putanda est, hoc enim sine  
Divi.